



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

Distinctio Tertia. De Baptismo, & Confirmatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

DISTINCTIO III.

De Baptismo, & Confirmatione.

QUÆSTIO I.

Quid sit Baptismus, & quo tempore institutus, quæque
ejus obligatio ?

Hic sermo
est tantum
de Baptis-
mo flumi-
nis.
Qui est ja-
nuæ Sacra-
mentorum.

1. **I**N præfenti sermo non est de Baptismo fluminis, neque de Baptismo sanguinis, sed duntaxat de Baptismo fluminis : utpote qui solus absolute dicitur Baptismus, estque unicus, juxta illud Ephes. 4. *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma.* Quæque solus est Sacramentum, quinimò *Janua & Fundamentum omnium Sacramentorum*, ante cujus susceptionem non suscipitur aliud Sacramentum, ut dicitur in c. *Veniens, de Presbyc. non baptizato.* Dummodo excipiatur Sacramentum Eucharistiæ : nam non baptizatus accipit verum Corpus Christi, si ei ministretur Eucharistia, prout ibidem notatur ; quamvis illud fructuose non recipiat.

Baptismus,
quid ?

2. **CONCL. I.** *Baptismus* est Sacramentum ablutionis animæ à peccato, consistens in ablutione hominis aequaliter consentientis, facta in aqua ab alio ablutente, & in certis verbis simul ab eodem ablutente cum debita intentione prolatis. Ita Scorus 4. dist. 3. *quest. 1.* Neque hæc definitio in re differt ab ea, quam tradit Catechismus Romanus, dicendo : *Baptismus est Sacramentum regenerationis per lavacrum aquæ in verbo vitæ* : quamvis prior definitio naturam Sacramenti Baptismi clariùs explicet, utpote continens omnia ad ipsum requisita.

Fuit institu-
tus à Christo
ante suam
Passionem.

3. **CONCL. II.** Baptismus, qui est *Janua* reliquorum Sacramentorum novæ Legis fuit à Christo Domino institutus, & quidem ante suam Passionem & mortem. Prima pars est de Fide, & constat ex dictis dist. 1. num. 7. & 9. Altera pars ex eo probatur : tum quia Baptismus est *Janua* cæterorum Sacramentorum, sicque ante Sacramentum Ordinis, in ultima Cœna Discipulis collati, ipsiusque Eucharistiæ, institui debuit. Tum quia Christus, vel potius ejus Discipuli, jam leguntur baptizasse Joan. 3. & 4. & consequenter illo tempore Baptismus Christi jam fuit institutus ; cum non sit credibile, Apostolos alium Baptismus contulisse, quam Christi.

4. Nec

4. Nec obstat, quod Christus primum post suam gloriosam Resurrectionem dixerit Apostolis, Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Resp. enim, tunc quidem Apostolis esse datum generale mandatum praedicandi Baptismum ubique terrarum; non tamen illo primum tempore fuisse institutum Baptismum.

5. Cæterum, quo determinato tempore Christus instituerit Baptismum, variant Doctores. Et quidem D. Thomas 3. part. q. 66. art. 2. cum suis, & multis alijs, censet, Baptismum, in quantum Sacramentum est, fuisse institutum à Christo eo tempore, quo ipse à Joanne in Jordane Baptizatus fuit. Et potest hæc sententia suaderi ex eo: quia tunc Christus tactu suæ mundissimæ carnis consecravit fluentia Jordanis, atque aquam naturalem pro materia Baptismi dedicavit. Insuper eodem tempore tota SS. Trinitas, in cuius nomine confertur hoc Sacramentum, simul apparere dignata est: dum Pater Cælestis de cælo loquebatur, *Hic est Filius meus dilectus*; Filius baptizabatur; & super eum Spiritus Sanctus in columbæ specie apparebat.

6. Verum hæc sententia nonnullas patitur instantias. Tum quia Christus, dum baptizabatur, non suscepit Sacramentum Baptismi, sed Baptismum Joannis duntaxat, qui Sacramentum non erat. Tum quia Christus eo tempore necdum praedicavit, neque Discipulos habuit, & consequenter non videtur tunc instituisse Sacramentum Baptismi; haud obstante, quod ex tunc consecraverit aquas Jordanis, imò & quamcunque aquam naturalem, ut esset materia apta Baptismi à se instituendi. Atque ideò Scotus 4. dist. 3. q. 4. & Scotistæ passim, probabilius esse censent, Sacramentum Baptismi non pro tunc, quando Christus baptizabatur à Joanne, sed paulò post institutum fuisse tempore opportuno, tamen ante illud tempus, quo Discipuli ejus baptizârunt; quamvis de tempore illo determinato ex S. Scriptura clarè non constet.

7. Concl. III. Ad Baptismum suscipiendum in statu Legis Evangelicæ, post sufficientem ejus promulgationem tenentur omnes homines: unde etiam Judæi, ac Pagani, obligantur præcepto recipiendi Baptismum. Ita Scotus 4. dist. 3. q. 4. D. Thomas part. 3. q. 68. art. 1. & Theologi communiter. Ratio est: quia omnes homines, etiam Pagani, atque Judæi, obligantur ad procurandam propriam salutem æternam; ergo etiam tenentur ad id, sine quo salutem consequi non possunt: atqui

Yyyyy 2

sine

sine Baptismo nequeunt consequi salutem æternam; juxta illud Salvatoris, Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*

Infidelium
filij, an pos-
sint bap-
tizari in vitis
parentibus?


8. Quæres, utrum Infidelium filij in vitis parentibus suis baptizari possint? Resp. Eos quidem validè baptizari, tamen ordinariè non esse licitum, in vitis parentibus Infidelibus eorum infantes baptizare. Ita Doctor Angelicus *loc. cit. art. 10.* aliique communiter. Ratio primæ partis est: quia ad valorem Baptismi ex parte infantium non requiritur propria dispositio, *c. Majores. de Baptismo.* Neque obstat ipsis parentum contradictio: quia infantes non baptizantur in fide suorum parentum, sed in fide totius Ecclesiæ, ac secundum voluntatem Christi.

Præsertim
licitè?

9. Altera pars ex eo probatur; quia filij Infidelium ante usum rationis secundum Jus naturale sunt sub cura parentum; & ideo contra justiciam naturalem esset, si tales pueri in vitis parentibus baptizarentur. Accedit, quòd periculosum sit, tales filios Infidelium baptizare; quia de facili ad Infidelitatem redibunt, propter affectum ad parentes; eorumque exemplum: unde neque Ecclesia hætenus consuevit filios Infidelium in vitis eorum parentibus baptizare.

Casus, in
quibus hoc
licitum est.

10. Dicitur notanter num. 8. *id ordinariè non esse licitum.* Nam hinc excipiuntur aliqui casus. I. Si infans constitutus sit in articulo mortis: nam tunc cessat periculum subversionis, ac proinde potest baptizari etiam in scijs, vel in vitis parentibus, dummodò hoc fieri valeat absque gravioribus incommodis. Idem dicendum, si filij infidelium sint perpetuò amentes. II. Si infans ab Infidelibus parentibus sit separatus, nec ipsis amplius possit, aut saltem non debeat restitui: nam tunc baptizandus est. III. Si unus è parentibus consentiat, altero dissentiente: quia tunc ob favorem Religionis, salutemque proles, præfertur voluntas consentientis in Baptismum, veluti justior. IV. Si proles ad usum rationis pervenerit, aut saltem pervenisse ex quibusdam indicijs colligi possit, baptizarique velit: etenim in ijs, quæ concernunt salutem animæ, homo non dependet à parentibus.



QUÆ-

QUÆSTIO II.

Quæ sit materia Baptismi, qualisque requiratur ablutio baptizandi?

11. **CONCL. I.** Materia Baptismi duplex est, remota scilicet, & proxima. Ita omnes Doctores. Et quidem materia ejus remota, est aqua naturalis, seu elementaris; prout non solum in Concilio Florentino, ac Tridentino definitum fuit; sed etiam constat ex pluribus S. Scripturæ locis; ut ex illo Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c.* Item Actor. cap. 8. *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* & alibi. Materia proxima Baptismi, est ipsa ablutio facta in aqua naturali.

Materia Baptismi remota, & proxima, quæ?

12. **CONCL. II.** Licet ad valorem Sacramenti Baptismi sufficiat quælibet aqua, quæ quoad substantiam est naturalis; ex præcepto tamen Ecclesiastico ea debet esse certo ritu benedicta. Ita certa, & communis. Cæterum ejusmodi solemnis Benedictio Fontis, seu Aquæ Baptismalis, peragitur Sabbato sancto ante Dominicam Resurrectionis, ac Vigiliâ Pentecostes; prout habetur in Missali Romano. Unde peccaret ille (& quidem juxta Toletum, mortaliter) qui extra casum necessitatis uteretur ad Baptismum aquâ non sic benedictâ, arg. *Clement. un. de Baptismo.*

Aqua Baptismalis de præcepto Ecclesiæ debet esse benedicta.

13. **CONCL. III.** Ad valorem Sacramenti Baptismi requiritur aliqua vera ablutio, nec sufficit simplex applicatio aquæ ad corpus absque ullo motu successivo, seu fluxu ipsius aquæ: sufficit autem quælibet aquæ quantitas, dummodo sit tanta, quæ possit successivè contingere corpus quoad aliquam partem sufficientem ipsius. Ita communis. Ratio est: quia materia proxima Baptismi non est nuda aqua, sed ablutio per aquam facta: atqui verè nemo dicitur abluï, nisi aqua successive ab una parte corporis perveniat ad alteram: ergo.

Ad valorem Baptismi requiritur vera ablutio.

14. Infertur proinde, quòd ille non validè baptizaret, qui digito per aquam naturalem madefacto attingeret duntaxat corpus baptizandi, absque ullo tractu, vel motu ipsius: secus foret, si per motum aquæ, vel digiti madefacti, ablueretur pars sufficiens corporis baptizandi. Hinc non immeritò approbant Doctores casum illum, quo fœmina infantem moribundum baptizavit

Corollarium.

Yyyyy 3

zavir

zavit madefacto aquâ digito, ac ducendo Crucem per frontem infantis, simulque legitimam formam pronuntiando: hîc enim vera, & sufficiens interveniebat ablutio.

Aliud Co-
collarium,

15. Infertur ulterius, eum pariter non validè baptizatum, qui aspergit alterum aquâ naturali in tam modica quantitate, quòd omnes guttæ persistant immotæ, ac nullo modo per corpus fluant. Reverà enim in tali casu nulla interveniret ablutio hominis baptizandi: quia ad veram abluionem omninò requiritur aliqua motio, seu fluxus aquæ abluentis; ut patet ex significatione vocis, ac communi modo concipiendi hominum.

Ablutio Ba-
ptismalis
potest fieri
immersione,
affusione,
vel aspera-
sione,

16. CONCL. IV. Ablutio baptismalis potest fieri vel immersione, si baptizandus immergatur in aquam; vel affusione, ut si aqua fundatur super corpus baptizandi; vel aspersione, ut si baptizandus aspergatur aquâ, in quantitate tamen sufficienti, ut actu fluat per sufficientem partem corporis. Ita rursùm Doctores communiter. Et quidem certum est, abluionem quolibet horum trium modorum peractam sufficere ad valorem Baptismi, licet secunda, quæ fit per affusionem, hodie communiter observari soleat.

An trina
affusio ad-
hibenda?

17. Quamvis autem ad valorem Baptismi sufficiat unica ablutio baptismalis, neque necessariò requiratur trina affusio aquæ: nihilominus in praxi communiter trina affusio adhibenda est, juxta præscriptum veterum Canonum, *c. Postquam. & seqq. de consecr. dist. 4.* ac Ritualium Diocæsanorum, quibus extra casum necessitatis debet Minister sese conformare.

In Baptis-
mo, quæ
pars corpo-
ris sit ablu-
enda?

18. Notanter autem in hac, & præcedenti Conclusionè dictum est, dummodò aqua fluat per sufficientem partem corporis baptizandi. Etsi enim non sit necesse ad valorem Baptismi, ut totum corpus abluatur, sed sufficiat, si abluatur quædam pars ipsius sufficiens; variant tamen Doctores in assignando, quænam pars sit sufficiens. Et quamvis non desint Authores, qui velint, absolutè loquendo validum esse Baptismum ablutâ quacunque etiam minimâ corporis parte: id tamen communior opinio vel negat, vel saltem incertum putat. Hinc in praxi semper tutior pars,

(a) *Juxta* quantum fieri poterit, est eligenda, ne Sacramentum homini dicti. Tract. tantopere necessarium, sine causa exponatur periculo invalidi-
Dist. 3. n. tatis, vel dubietatis. (a)

57. & 58.

19. Infertur proinde, quòd si Baptismus possit fieri in capite, in illo sit meritò conferendus: quia caput est præcipua pars ho-

ho-

hominis, in qua principales sensus vigent, & à qua maximè totus homo potest denominari: unde caput est certissima, & sufficientissima pars pro collatione Baptismi. Quòd si hoc commodè fieri non possit, tunc in casu necessitatis, utputà propter periculum mortis, in quo versatur infans nondum perfectè natus, semper faciendà est ablutio in alia parte principaliori, quantum fieri potest.

20. Si verò pars illa sit minùs principalis, ac proinde dubia (qualis secundùm Scotum in 4. dist. 4. quest. 3. non solum est digitus, sed etiam manus, vel pes, ac hujusmodi) tunc si infans evadat periculum, ac perfectè nascatur, iterùm baptizandus est sub conditione; prout notatur c. De quibus. de Baptismo, atque in Ritualibus Diocesanis Parochi plenius informantur. Insuper sciendum, quòd si parvulus cum Baptismo dubio moriatur, is sepeliendus sit in terra benedicta: quia ad hanc jus acquisivit ob probabilitatem sui Baptismi.

Quid agendum si ablutio facta est in parte dubia?

21. CONCL. V. Dubium sanè, num puer, cum intentione ipsum baptizandi, projectus de ponte in fluvium vel fontem, ubi submergendus est, sit validè baptizatus: quamvis non desint Doctores, asserentes, talem Baptismum valere (inter quos sunt Suarez, Vasquez, Layman, & plures alij Recentiores) at tamen rationabiliter, & magis probabiliter, negatur cum Doctore Subtili in 4. dist. 5. quest. 3. Ratio hujus sententiæ negativæ est: quia in tali casu deest ablutio, requisita ad valorem Sacramenti Baptismi. Etsi enim videatur hic intervenire immersio pueri in aquam, ea tamen non tam est immersio, quàm submersio pueri in fontem, vel fluvium præcipitati; cum ex natura sua tendat ad mortem parvulo inferendam. Unde nec is ablui dicendus est, sed potiùs submergi: nam ablutio hominis debet fieri salvâ vitâ ipsius, saltem quantum est de se, atque ex natura ipsius abluionis.

Puer projectus in flumen cum intentione ipsum baptizandi, an baptizetur?

Q U Æ S T I O III.

De Forma Sacramenti Baptismi.

22. CONCL. I Vera, & legitima forma Sacramenti Baptismi, est hæc: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Ita fides Catholica. Et hæc forma, quæ in tota Ecclesia Latina semper fuit observata, atque etiamnum ob-

Forma Baptismi, quæ?

observatur, desumitur ex illis verbis Christi, Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Qua formâ
utantur
Græci?

23. Verum quidem est, quod in Ecclesia Græca jam à tempore Apostolorum, atque ex eorum ordinatione, ex instinctu Spiritus sancti, ob gravissimas causas factâ (ac præcipue ad tollendum errorem, & Schisma Græcorum, de quo fit mentio 1. Corinth. 1.) observetur paululum alia forma Baptismi, nempe hæc: *Baptizetur servus JESU Christi in nomine Patris, &c.* Quæ forma pariter certa est, ac sufficiens, & à Græcis de præcepto observanda, tamen re ipsâ non differt à priori: nam quod verbo activo, *Ego te baptizo*, dicunt Latini; hoc idem verbo passivo, *Baptizetur servus JESU Christi*, significant Græci. Sed imposterum ex professo erit sermo de formâ Baptismi, aliisque Ritibus Sacramentorum in Ecclesia Latina usitatis.

Tria in for-
mâ Baptis-
mi exprima-
menda.

24. CONCL. II. In forma Baptismi necessariò necessitate Sacramenti (ita nempe, quod alioquin eo non expresso nullum fieret Sacramentum) debent exprimi sequentia tria. I. Persona, quæ baptizatur, quod fit per *ly, Te.* II. Actio baptizandi; quod fit per *ly, baptizo.* III. Invocatio SS. Trinitatis; quod fit per *ly, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Desumitur hoc totum ex forma Baptismi, à Christo præscriptâ *cit. cap. 28. Matth. 28.* Unde declaravit Alexander Papa III. & habetur cap. 1. de Baptismo: *Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen; & non dixerit; Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen: non est puer baptizatus.* Hæc ibi.

In ea debet
exprimi &
Unitas, &
Trinitas
Personarum.

25. CONCL. III. Ob eandem rationem, siue institutionem Christi, *Matth. cap. 28.* nobis indicatam, requiritur, ut in forma Baptismi necessariò necessitate Sacramenti exprimat non solum Trinitas Personarum, sed etiam Naturæ Unitas, quæ significatur per *ly, In nomine.* Unde inferitur cum Suarezio *disp. 21. sect. 3.* & alijs, hanc formam. *Ego te baptizo in nominibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti,* esse insufficientem ad valorem Sacramenti Baptismi: quia in ipsa fit substantialis mutatio.

Quid, si *ly*
In nomine,
ter repeta-
tur.

26. Aliter dicendum est de hac forma, *Ego te baptizo in nomine Patris, & in nomine Filij, & in nomine Spiritus sancti.* Hæc enim valet: quia licet *ly, in nomine,* ter repetatur, non tamen significat pluralitatem Naturæ Divinæ, sicut *ly, in nominibus:* prout à pari absque pluralitate Divinæ Naturæ dicitur, *Deus Pater, & Deus*

Ei-

Filius, & Deus Spiritus sanctus; quamvis dici non possit, *Dij Pater,*
& Filius, & Spiritus sanctus.

27. CONCL. IV. Baptismus defacto collatus in nomine Christi tantum, nec est validus, nec licitus. Ita Herincx *disp. 5. de Baptismo, quest. 4. num. 45.* & alij: idque desumitur ex *c. Multi sunt. de consecr. dist. 4.* ubi rejicitur Baptismus in nomine solummodo Christi collatus. Atque hoc ipsum videtur tenere communis praxis, & sensus Fidelium; quamvis Sannig *dist. 2. de Baptismo, quest. 9. num. 6.* dubitet, ac inde eum relinquat, num defacto valeat Baptismus in nomine Christi collatus.

28. Dicitur notanter in Conclusionem, defacto. Nam in primitiva Ecclesia Baptismus in nomine Christi tantum collatus, ex speciali dispensatione Divina, & Apostolis revelata, videtur fuisse validus, ac licitus; uti tenent Scotus *4. dist. 3. quest. 2.* D. Thomas, S. Bonaventura, & communior Theologorum, paucis exceptis. Et hoc factum fuisse creditur ex speciali dispensatione Divina ad glorificandum magis SS. Nomen JESU, tempore primitivæ Ecclesiæ Judæis, atque Gentilibus summe exosum. Idque desumitur ex S. Scriptura: nam *Actorum cap. 2.* S. Petrus, repletus Spiritu sancto, præcepit, dicens: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine JESU Christi.* Item *Act. cap. 8.* dicitur: *In nomine JESU baptizabantur viri, ac mulieres.* Et *cap. 10.* *Jussit eos baptizari in nomine Domini JESU Christi.* Hinc etiam Nicolaus Papa I. ut refertur *can. A quodam Judæo. de consecr. dist. 4.* dicit, eos, qui in nomine SS. Trinitatis, vel tantum in Christi nomine, sicut in *Actibus Apostolorum* legimus, baptizati sunt, non esse denuo baptizandos.

29. Quæres, quænam forma sit adhibenda, si probabiliter dubitatur, an quis sit baptizatus? Resp. Hoc patere ex Jure Canonico, *cap. 2. de Baptismo*, ubi sic habetur: *De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis premissis: Si baptizatus es, non te baptizo; sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Hæc ibi: *Quamvis nonnulla Ritualia Diocesana priorem partem omittant, dicendo tantum in tali casu: Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, &c.*

30. Quæres ulterius, an Sacerdos ille validè baptizaverit, qui ignarus Linguae Latinæ, hac formâ usus est: *Baptizo te in nomine Patriæ, & Filiæ, & Spiritu sancta.* Respondet Zacharias Papa (*& habetur can. Retulerunt. de consecr. dist. 4.*) affirmativè, his verbis: *Si ille, qui baptizavit, non errorem introducens, aut hæresin,*

Lzzzz

sed

sed pro sola ignorantia Romane locutionis infringendo linguam, ut supra, baptizans dixisset, non possumus consentire, ut denudò baptizentur: & consequenter sic baptizati, censentur validè baptizati, eò quòd non contigerit error substantialis in forma, sed duntaxat error Latinitatis ob imperitiam baptizantis.

QUÆSTIO IV.

De Ministro, & quibusdam alijs Baptismum concernentibus.

Minister
Baptismi
potest esse
quilibet
homo.

31. **C**ONCL. I. Quilibet homo ratione præditus potest esse Minister Baptismi, ita ut Sacramentum valeat: ac proinde validus est Baptismus, etiamsi conferatur à Pagano, vel Hæretico, aut à muliere, vel Ministro malo, dummodò omnia alia necessaria adhibeantur. Ita Scotus 4. dist. 5. q. 1. cum communi; & habetur decisum *can. Romanos. & seqq. de consecr. dist. 4. juncto c. Firmiter. de Summa Trinit. & Concilio Florentino in Decreto Unionis.*

In casu necessitatis, quid observandum?

32. In praxi tamen observandum est, ut in casu etiam necessitatis Sacerdos præferatur Diacono, & Diaconus Subdiacono, ac Clericus alius Laico, & vir foeminae: nisi pudoris gratiã deceat, foeminam potius, modi baptizandi gnaram, quam virum baptizare infantem in mortis periculo constitutum, ac nondum plenè natum; vel, nisi melius foemina, utputà obstrix examinata, & approbata, sciat formam & modum Baptismi: prout passim solent monere Ritualia Diœcesana.

Extra necessitatem, cui competat baptizare?

33. **C**ONCL. II. Nihilominus extra casum necessitatis baptizans, cui id jure, vel ex officio non competit, peccat. Ita communis. Et hoc quidem esse peccatum mortale, docent Suarez, Navarrus, Sotus, alique, quos citat & sequitur Layman *lib. 5. tract. 2. cap. 7.* quia SS. Canones, ob honorem Sacramenti Baptismi, severè præcipiunt, ut Sacerdos extra casum necessitatis solemniter baptizet, *Clem. un. de Baptismo.* Quinimò munus baptizandi ex officio competit soli proprio Sacerdoti, seu Parocho, nisi is alicui alteri licentiam baptizandi concedat.

An Diaconus, vel Subdiaconus,

34. **C**ONCL. III. Ex Episcopi, vel proprii Sacerdotis commissione, ob rationabilem causam factã, non solum alius Sacerdos, sed etiam Diaconus solemniter baptizare potest; non autem

tem Subdiaconus, vel alius Clericus inferior, poterit solemniter ^{possit so-}
baptizare ex tali commissione. Ita desumitur ex c. Diaconos. ^{lemniter}
dilt. 3. junctâ Gloſâ ^{ibidem}, & Necessitas, & tradit Layman ^{loc. cit.}, baptizare?
num. 3. citans alios.

35. CONCL. IV. Non valet Baptismus à pluribus collatus, An valeat
uno eorum adhibente materiam, & altero profereute formam; Baptismus,
dum scilicet unus aquam affundit, & alter verba formæ Baptif- uno mate-
mi profert. Ita Scotus 4. diff. 6. quest. 2. D. Thomas part. 3. quest. riam, & al-
67. art. 7. & alij. Ratio est. Tum quia hoc est contra Christi in- tere formâ
stitutionem; ut patet ex praxi Ecclesiæ, & communi sensu Do- adhibere?
ctorum. Tum quia in tali casu, significatio formæ esset falsa:
nam alter dicendo, *Ego te baptizo* &c. eum non ipse, sed alius
baptizaret, falsum enunciaret.

36. CONCL. V. Minister Baptismi extra casum necessita- Observandi
tis, ac solemniter baptizans, diligenter proprium Rituale Dice- à Ministro
cesanum revideat, atque exactè observet, quæ in eo præscribun- Baptismi.
tur observanda circa Baptismum, sive parvulorum, sive adulto-
rum, singulâque Cæremonias ibidem ad longum descriptas.
Hæc conclusio certa est: nam quilibet Minister Sacramento-
rum tenetur observare laudabiles Ritus suæ Ecclesiæ. Cæterum,
quia ea, quæ circa Cæremonias Baptismi conferendi describun-
tur in Ritualibus Diocesânis, sunt longiora, simulque in aliqui-
bus variant, hoc loco omittuntur. Solum pro complemento
hujus materiæ

37. Quæres I. Quid agendum sit de Monstris? Resp. ^{quid agen-}
Monstrum, quod humanam speciem non præferr, baptizari ^{dum de}
non debet. Quod si verò dubium sit, an sit homo nec ne, bapti- ^{Monstris?}
zetur sub hac conditione: *Si tu es homo, ego te baptizo in nomine*
Patris, &c. Si autem Monstrum habeat plura capita, vel plura
pectora, signum erit, quod totidem habeat corda & animas, ac
proinde, quod sint homines distincti: unde eo casu singuli eo-
rum sunt seorsim baptizandi, unicuique dicendo: *Ego te baptizo*
in nomine Patris, &c.

38. Quæres II. Quænam sint poenæ reiterantium Baptif- poenæ rei-
mum? Resp. I. Gravissimum Sacrilegium committitur ab eo, ^{terantium}
qui sciens & prudens absolutè rebaptizat hominem, quem com- ^{Baptismum.}
stat validè fuisse baptizatum: simulque talis temerè rebapti-
zans incurrit ipso facto Irregularitatem. Ita communis; &
colligitur ex cap. 2. de Apostatis & reiterantibus Baptismum.

ZZZZZ. 2.

39. Ad-

quid de
rebaptizan-
te sub con-
ditione ?

(b) *Ut di-
cti Tract.
13 Dist. 3.*

n. 11.
Patrini in
Baptismo,
qui ?

39. Addit Tannerus *tom 4. disp. 4. q. 2. num. 109. & 120.* po-
timum, Suarez, & Vasquez, non multò leuius peccaturum eum
qui quempiam, de quo nullum est morale dubium, quin verè ba-
ptizatus sit, denuò etiam sub conditione rebaptizat; quamvis
talis sub conditione solùm temerè rebaptizans non incurrat Irre-
gularitatem. (b)

40. Quæres III. Quid sentiendum de Patrinis? Resp.
Quòd in Sacramento Baptismi unustantum Patrinus, sive vir si-
ve mulier, vel ad summum unus & una, baptizatum de Baptif-
mo suscipiant; inter quos & baptizatum ipsum, & illius pa-
trem & matrem spiritualis cognatio contrahitur. Ita expressè
statuit Concilium Trident. *Sess. 24. cap. 2. de Reform. Matrim.*
iuncto *c. Non plures. de consecr. dist. 4. & c. Quod autem. 30. quest.*
4.

QUÆSTIO V.

De Sacramento Confirmationis.

Confirma-
tionis di-
gnitas

41. **Q**uandoquidem Confirmatio est veluti perfectio, &
consummatio Baptismi, adèò ut sine ea quis non inve-
niatur plenus Christianus *arg. c. Omnes fideles. de consecr.*
dist. 5. Meritò post Sacramentum Baptismi agitur de Confir-
matione, per quam Spiritus sanctus infunditur, gratia Ba-
ptifimalis roboratur, & cor fidele ad patientiam & constantiam
dilatatur.

Sacramentū
Confirmati-
onis, quid?

42. CONCL. I. *Sacramentum Confirmationis*, est unctio ho-
minis viatoris, facta in fronte, in figura Crucis cum Chrisma-
te sanctificato, & hoc à Ministro idoneo, simul debita verba
profèrente, significans efficaciter ex institutione Divina unctio-
nem animæ per gratiam roborantem, ad confitendum cum fi-
ducia Fidem Christi. Ita Scotus *4. dist. 7. quest. 1.* Vel, si pla-
cet, brevius: *Confirmatio est Sacramentum novæ Legis, quod*
baptizatis confertur per sacri Chrismatis in fronte inunctionem.

Materia
ejus remo-
ta, & proxi-
ma.

Et forma,
quæ?

43. CONCL. II. Materia remota Confirmationis, est Chris-
ma compositum ex oleo olivarum & balsamo, ac specialiter be-
nedictum ab Episcopo. Materia verò proxima ipsius, est un-
ctio facta in fronte, in figura Crucis, cum Chrismate sanctifica-
to. Porrò forma ipsius est talis: *Signo te signo Crucis. & confirma-
te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Ita
com-

communis; & habetur expressum in Concilio Florentino in Decreto Unionis.

44. CONCL. III. Sacramentum Confirmationis à Christo institutum fuit, & quidem verisimilius in ultima Cœna. Prior pars est de Fide, & patet ex dictis supra *dist. 1. num. 8. & 9.* Altera pars ex eo suaderetur: quia Christus Dominus in ultima Cœna Apostolos circa hoc Sacramentum instruxit, eosque docuit Chrisma conficere; prout desumitur ex autoritate S. Fabiani Papæ, *Epist. 2. cap. 1. ad Orientales*, ubi ait: *In illa die Dominus Christus JESUS, postquam cœnavit cum Discipulis suis, & lavit eorum pedes, sicut à sanctis Apostolis Prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, Chrisma conficere docuit.*

Fuit à Christo institutum in ultima Cœna.

45. CONCL. IV. Ordinarius hujus Sacramenti Minister est solus Episcopus. Ita omnes Theologi; ac præter Concilium Florent. *loc. cit.* fuit novissimè definitum in Concilio Trident. *Sess. 7. can. 3. de Confirmatione*, his verbis: *Si quis dixerit sancta Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem: anathema sit.*

Episcopus est ordinarius Minister.

46. Dicitur, *Confirmationis ordinarium Ministrum.* Nam ex speciali commissione Summi Pontificis, posse etiam simplicem Sacerdotem conferre Sacramentum Confirmationis, passim fatentur Doctores; idque desumitur ex *c. pervenit dist. 95.* ubi S. Gregorius Magnus concessit Sacerdotibus in Sardinia hoc Sacramentum in absentia, atque defectu Episcoporum, ministrare. Idem desumitur ex Concilio Florentino in *Decreto Unionis*, ubi cum dictum esset, quod ordinarius Minister hujus Sacramenti sit Episcopus, subjungitur: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.* In quo casu, ut observat Sannig. *dist. 3. De Sacramentis, quest. 3. num. 14* dicta facultas conferendi istud Sacramentum convenit simplici Sacerdoti, remotè quidem ac inchoativè ratione Ordinis Sacerdotalis, proximè autem ratione dispensationis Papalis, reducens quasi potè statem remotam in actum.

An & simplex sacerdos ex commissione Papæ

Generale præceptum de recipienda Confirmatione non extat.

47. CONCL. V. Quamvis nullum extet generale præceptum de recipiendo Sacramento Confirmationis, neque hoc sit simpliciter necessarium ad salutem, licet necesse sit, ut non contemnatur (c) adhuc tamen Parochis incumbit, suos Parochianos sedulo admonere, ne hoc Sacramentum Confirmationis

(c) juxta dicta *Dist. 2. num. 68. & seqq.*

nimiùm differant, vel omninò suscipere negligant; sicque pri-
ventur fructu virtute hujus Sacramenti dignè recipientibus ex
opere operato conferendo. Ita communis; atque hoc ipsum
optimè solent monere Ritualia Diocesana.

Primâ Ton-
surâ initiã-
di, debent
prius esse
confirmati.

48. CONCL. VI. Nihilominùs ex præcepto Ecclesiastico
speciali debet is, qui ad Ordines, aut primam Tonsuram admit-
tendus est, esse confirmatus. Patet hoc ex Concilio Trident.
*Sess. 23. cap. 5. De Refor. ubi dicitur: Primâ Tonsurâ non initientur, qui
Sacramentum Confirmationis non susceperint.*

An peccetur
mortaliter si
secùs fiat?

49. Num autem peccet mortaliter, qui suscipit Ordines
ante Confirmationem, variant Doctores. Affirmat Bonacina
disp. 8. de Sacramentis, quest. un. punct. 5. num. 10. Toletus, & quidam
alii; eò quòd talis agat contra præceptum Concilij. Commu-
nior tamen sententia peccatum mortale, secluso contemptu, in
hoc non agnoscit: cum Concilium nihil præcipiat ordinandis,
sed ipsi Episcopo ordinanti, ne videlicet tales primâ Tonsurâ ini-
tiet. Barboza *ad cit. cap. Concil. Trident. num. 2.* citans plurimos Do-
ctores. Imò Layman *lib. 5. tract. 3. cap. 5. num. 4.* cum quibus-
dam alijs, etiam respectu Episcopi ordinantis non agnoscit gra-
ve præceptum, sed admonitionem ejus, quòd congruè fieri de-
beat: quamvis, si secùs fiat, peccetur venialiter.

Qua ætate
hoc Sacra-
mentum re-
cipiendum?

50. CONCL. VII. Quantum attinet ad ætatem recipienti-
um hoc Sacramentum, observanda potissimùm erit laudabilis
cujusque Diocesis consuetudo, atque instructio propriorum Ri-
tualium Diocesanorum: quamvis enim non semper expectari
debeant anni discretionis in pueris, aut puellis, ad hujus Sacra-
menti susceptionem; expedit tamen, non faciliè ante septennium
illos ad id suscipiendum adduci; prout sapientissimè monet Ca-
techismus Romanus, jussu B. Pij V. editus.

Ad id qualis
dispositio in
adultis re-
quiratur?

51. CONCL. VIII. Qui adultâ jam ætate Confirmationem
recipere volunt, requiritur, ut ad hujus Sacramenti gratiam,
effectusque dignè consequendos, præter Fidem, ac pietatem,
etiam de peccatis suis ex animo doleant. Qua in re elaboran-
dum est Parochis, ut tales prius ad Confessionem Sacramen-
talem, atque ad alia pietatis officia suscipienda excitent, & in-
ducant. (d)

(d) Videã
tur dicta

Dist. 2.

n. 28. &

29.

Non potest
reiterari.

52. CONCL. IX. Certum est, hoc Sacramentum propter
impressum Characterem, non posse sæpiùs sumi, sive reiterari,
idque nec licitè, nec validè: ut proinde non solum ille mortali-
ter peccet, qui scienter præsumit hoc Sacramentum reiterare;
sed.

sed etiam tale Sacramentum secundâ vice collatum, prorsus nullum fit, ac irritum. Patet hoc ex Concilio Trident. *Seff. 7. Qu. 4. per totum.* (e) *Dist. 2. can. 9. & dictum est superius.* (e)

53. **CONCL. X.** Nihilominus Sacramentum Confirmationis temerè reiterans, non fit irregularis. Ita Scotus 4. *dist. 7.* non fit irregularis. *quæst. 5. & communior aliorum.* Ratio est: quia nullibi in Jure reperitur expressâ talis Irregularitas: atqui Irregularitas non incurritur, nisi in casibus à Jure expressis, ut habetur *cap. Is qui, de Sententia excommunication. in 6.* Nec obstat, quòd scienter reiterans Baptismum fiat irregularis. Resp. enim, disparitatem esse: quia hæc Irregularitas est Jure expressa, non verò illa: & alioquin ob similitudinem rationis poenæ non facile sunt extendendæ. (f)

54. **CONCL. XI.** In Sacramento Confirmationis debet intervenire Patrinus, qui teneat confirmandum. Ita perpetua praxis Ecclesiæ; & constat tum ex *c. Pervenit. 30. q. 1.* tum ex Concilio Trid. *Seff. 24. de Ref. Matr. c. 2.* ubi additur, quòd in posterum *cognatio spiritualis, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiusque patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur.*

55. Sciendum insuper, quòd non debeat idem esse Patrinus in Confirmatione, qui fuerat in Baptismo: idque propter consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, nisi cogat necessitas; prout habetur *c. In Catechismo. de consec. dist. 4.*

(f) Vide Tr. 13. Dist. 3. n. 10.

In Confirmatione debet intervenire Patrinus.

Et alius à Patrinus in Baptismo.

DISTINCTIO IV.

De Sanctissimo Evcharistiæ Sacramento,

QUÆSTIO I.

De Natura, Institutione, ac Unitate Sacramenti Evcharistiæ.

1. **E**vcharistia à Græcis derivatur, & latinè significat idem, ac *Bona gratia*, item *Gratiarum actio*. Et idcirco præsens SS. Sacramentum non immeritò dicitur *Evcharistia*, eò quòd sic

Evcharistia vi nominis, quid ?